

terminum extrinsecum habere rationem perfectivi, vel specificativi respectu ejus quod habet habitudinem ad ipsum, sed aliquando se habet ut purus terminus, sicut unum simile, vel æquale ad alterum: aliquando est aliquid minus perfectum et potius perfectibile ab altero, quam perfectivum ejus, sicut materia respectu formæ. Respectu autem ad terminum ut ad perfectentem, et specificantem non est inconveniens, quod se habeat ad illum ut causam formalem extrinsecam, præsertim quando ita perficit extrinsece specificando, et regulando, quod relinquit aliquid intrinsecum, et informans in suo perfectibili cum dependentia a se ut ab extrinseco perficiente, non autem omnis mensura sic se habet: aliquando enim mensuræ non perficiunt suum mensuratum, sed solum ex usu, et instituto humano notificant mensuratum, sicut pecunia est mensura rerum venalium, et libræ, ac pondera publica institutione designantur. Idea autem perficit, et regulat ideatum, quia tota veritas ideati in imitatione ideæ consistit tamquam vestigium formæ principalioris, et exemplaris, et sic respicit illam tamquam formam specificantem exemplariter, seu imitabiliter quod est extrinsece, non inhærenter quod est intrinsece; et sic idea vere informat ideatum, sed exemplariter, non intrinsece.

XXVI. Ad confirmationem respondetur, quod causa efficiens solum respicit rem, ut ponendam extra causas, quod est respicere existentiam, et executionem, et si respicit essentiam solum est quatenus subest existentie. Et similiter finis movet efficiens ut exequatur, et producat in esse. Unde non potest specificatio summi ab istis causis, ut a mensura, et specificativo formali, sed per accidens est ad quidditatem rei, quod sit ab isto, vel illo efficiente, quia

non est ejus munus specificare, sed rem specificatam producere, et extra causas ponere; et sic dicitur causa extrinseca efficiens, non solum quia non causat per conjunctionem ad effectum, sed etiam quia non respicit quidditatem ut specificandam, sed ut producendam, et sub ratione existentie; et sic non tam respicit objectum, quam effectum. Idea autem regulat ipsam veritatem, et quidditatem ideati, et facit exemplariter formando id quod forma intrinseca informando.

XXVII. Quod vero etiam in idea concurrat ratio causæ efficientis ex dictis probatur, quia non solum pertinet ad ideam, speciem, et veritatem ideati formare, sed etiam ad executionem, et existentiam ejus procedere, et ad ponendum ideatum extra causas: formatur enim idea ex intentione ponendi aliquid in esse, et sic non solum deservit intellectui ut formanti, et determinanti veritatem ideati, sed etiam deservit voluntati, et intentioni artificis, ut res ipsa executioni mandetur: artifex enim sic producit per formam idealem sicut agens naturale per formam naturalem; et ita debet respicere existentiam, et productionem sui ideati, et non solum speciem, et naturam in abstracto: ergo debet habere vim efficiendi, quia causalitas efficientis respicit existentiam, et positionem rei extra causas. Cæterum hoc habet idea ex participatione voluntatis, quia enim voluntas est principium movens, et inclinans subjectum ad executionem agendi, quidquid efficacie est in his quæ per voluntatem faciendæ sunt, in ipsam voluntatem tamquam in primum movens internum reducit, sicut etiam quidquid ordinationis, et specificationis est, in ipsum intellectum; quia sicut est proprium voluntatis impellere, et movere ex parte subjecti per inclina-

tionem, ita est proprium intellectus ordinare, et formare ex parte objecti, atque adeo ex parte specificationis, quia objectum specificationem præbet, sicut intentio, et voluntas impulsus, et motus.

XXVIII. Argumenta p. Suarez quæ probant efficientiam ideæ, concedimus. Quæ vero impugnant causalitatem formalem, non urgent: concedimus enim non requiri per se ad rationem ideæ quod deducatur ab aliquo exemplari externo, ut argumentum probat. Et objectum externum licet possit dici exemplar seu originale, non tamen potest dici idea; quia non est forma viva, et vitaliter artificiose movens ad sui imitationem: per se ergo solum requiritur ad ideam quod sit aliquid formatum in intellectu, ut exprimens, et formans imitationem sui ad extra. Et licet inter objectum cognitum, ut præcise cognitum denominatione extrinseca, et seipsum ut existens ad extra non intercedat formalis causalitas, quia neque intercedit imitatio, et expressio unius ex alio, tamen inter ipsum objectum ut formatum ad intra, et rem ipsam ut formandam ad extra, vera imitatio intercedere potest, atque adeo formalis causalitas extrinseca. Et ad instantiam, quod hoc exemplar interius, si perfectum est, est omnino simile, imo omnino idem cum re faciendæ ad extra, respondetur quod non est distinctum objectum quantum ad rem, transeat; sed quantum ad similitudinem rei, quantum ad modum, nego. Et diversus modus stat in hoc, quod exemplar, seu conceptus idealis respicit ideatum ut formabile a se modo artificioso, non ut præcise cognitum, seu cognoscibile: sic enim simplex cognitio respicit, et reddit cognitum ipsum ideatum denominatione extrinseca: multi enim qui non sunt artifices possunt cognoscere perfecte idea-

tum, seu artefactum, nec tamen formant ideam illius. Et idea non solum dicit conceptum cognoscen-tem quid sit objectum, sed quomodo sit faciendum, ita quod modus ipse faciendi et formandi relucent in conceptu, et practicum illum reddat; et quanto imperfectior est idea, tanto perfectius totum ideatum representat, sed ut factibile et imitabile a se, non ut pure cognitum. Et cum infertur quod sic ipse conceptus sufficit ad rationem ideæ, distingo; ipse conceptus ratione objecti a se excogitati, et formati tali modo quod possit exprimi artefactum ad extra, concedo; ratione ipsius conceptus, ut præcise informantis potentiam, et reddentis illam cognoscentem, nego. Illud autem objectum sic formatum et at-tactum ut quod intra conceptum, est causa formalis extrinseca respectu ideati, quia distinguitur ab ipso objecto ut est extra, sicut invisibile, et immateriale ab eo quod entitative, et visibiliter in se existit: sic enim ex invisibilibus visibilia fiunt, ut inquit Paulus ad Hebr. xi, ubi ly ex dicit causam non solum efficientem, quæ respicit productionem in se, sed etiam formativam, quæ respicit speciem ipsam ideati in se.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIX. Objicies primo ex p. Vasquez disp. LXXI, cap. II, et LXXII, cap. II ad probandum ideam non posse esse ipsum conceptum in mente artificis, quando perfecte representat rem quam facturus est, sed rem illam quam objective sibi proponit artifex, ut ad instar illius efficiat ideatum. Idea est forma exemplaris quam artifex aspiciens ad instar illius aliquid operatur; ergo non potest idea esse ille con-

ceptus qui habet pro objecto id quod facturum est. Consequentia patet, quia iste conceptus non respicit aliquid distinctum ab ipso ideato; ergo neque aliquid imitabile ab ideato, et sic ex vi talis conceptus non potest formari illud ideatum ad instar alterius, quia non concipitur per talem conceptum aliquid aliud ab ipso ideato; antecedens autem constat ex ipsa definitione ideæ: et patet manifeste, quia nihil seipsum imitatur, nec causatur a se, ideatum autem imitatur ideam: ergo idea non potest esse conceptus ipsius ideati: sic enim imitaretur seipsum: et sic artifex perfecte cognoscens ideatum non dicitur facere illud ex idea, sed ex cognitione sui ipsius.

Confirmatur, quia opus factum per artem proxime imitatur rem objective propositam intellectui, ipsum autem conceptum non imitatur, quia non assimilatur illi, sed rei objectæ, sicut videmus rem artefactam, v. g. domum procedere similem domui conceptæ, non ipsi qualitati spirituali conceptus: ergo immediate imitatur rem apprehensam, remote vero conceptum, quatenus rem apprehensam continet.

XXX. Respondetur non esse necessarium, et per se requisitum ad ideam quod desumatur ab aliquo objecto extra, vel repræsentet ideatum imperfecte, ut jam diximus. Neque conceptus induit rationem ideæ ex eo præcise quod rem ideatam perfecte cognoscit, sed quia tali modo cognoscit, scilicet artificiose, et modo practico faciendi illud: potest enim aliquis perfecte cognoscere rem aliquam artefactam, nec tamen ideam illius formare, licet conceptum formet, quia artificium non habet. Unde ad argumentum in forma, concessio antecedenti, distinguitur consequens: non

potest esse idea ille conceptus qui habet pro objecto ideatum, si solum repræsentet rem ideatam in se, et sub modo quo passive in se facta est, concedo; si repræsentet rem illam sub modo active faciendi nego. Et sic idea non respicit pro objecto ipsum ideatum præcise ut in se est in re, sed aliquid excogitatum et formatum in conceptu sub modo exprimendi illud ad extra, quod tamen quia simile est ipsi rei ad extra quæ ideata est, etiam dicitur ideatum ipsum repræsentare, tanto perfectius, quanto est illi similius: qui enim format ideam de domo, non solum nititur apprehendere domum, quæ materialiter est in re; hoc enim etiam cognoscit quicumque videns domum, etiamsi artifex non sit: sed nititur formare modum, quo domum faciat, et habilitare conceptum ut rem illam excogitam a se reducere possit ad exteriorem materiam, et ex invisibili visibilem facere: domus ergo invisibilis, et immaterialis sub tali modo excogitata quo possit ex illa invisibilis domus exterius derivari, idea domus est, aliquando perfecta, et valde similis ideato, vel etiam illi eminentior, ut idea divina; aliquando imperfecta repræsentans ideatum deficienter, et non eo modo quo fieri debet, ut plerumque in nobis accidit.

Ad confirmationem respondetur, quod res exterius facta non imitatur conceptum, vel intellectum, ut qualitas quædam formaliter est, et ut medium cognoscendi ut quo, bene tamen imitatur rem excogitam in illo conceptu, prout ibi immaterialiter, et invisibiliter continetur cum tali modo formandi rem ipsam ad extra: sicut si diceremus quod speculum habens imaginem aliquis imitaretur, non quatenus vitrum, sed quantum ad imaginationem contentam.

XXXI. Secundo, arguitur pro sententia Scoti ad probandum quod objectum exterius ut propositum, et cognitum denominatione extrinseca sufficit ad constituendam rationem ideæ: Nam res exterius proposita ad imitandum dicitur idea, dummodo per cognitionem applicetur: sic enim dicit Aristoteles XII metaph. textu XXIV, quod ars medendi est sanitas ipsa apprehensa, et species domus est idea domus faciendæ. Et præterea, quia artefactum non imitatur ipsum conceptum in re, qui est qualitas spiritualis, sed objectum quod est ab eo cognitum, hoc ergo habet rationem ideæ.

Confirmatur, quia ipsa res cognita, et apprehensa cum facultate, et usu artis sufficit ad exprimendum opus artificiale extra: ergo illa habet rationem ideæ, licet applicatio fiat per cognitionem, sicut finis ratione suæ bonitatis apprehensæ movet; et tamen apprehensio non est ratio formalis finalizandi, sed conditio.

Confirmatur secundo in idea divina, nam hæc non potest esse ipsa divina essentia, vel ejus conceptus, seu verbum, quia omnis creatura dissimilis est illi: ergo non fiunt creaturæ ad instar essentiæ divinæ: vel conceptus divini: ergo ad instar creaturæ apprehensæ, et cognitæ, hanc enim imitatur creatura facta in re: ergo ipsa est idea.

XXXII. Respondetur negando antecedens. Ad probationem ex Aristotele respondetur ipsum non dicere absolute quod sanitas est ars medendi, et species domus ars ædificatoria, sed cum diminutione quod aliquantulum species domus est ars ædificatoria, et sanitas ars medendi. Quod D. Thomas super illum locum lectione IV, exponit quod ars est similitudo quædam, et ratio formæ, quæ est in materia. Sentit ergo non esse eandem formam, quæ est in

materia solum prout cognita denominatione extrinseca, sed prout concipitur, ut ratio faciendi, et formandi rem illam quæ est ad extra. Quod vero dicitur artefactum imitari ipsum objectum cognitum, non vero conceptum, jam sæpe dictum est, quod non dicitur conceptum imitari, ut est qualitas quædam, et id quo fit cognitio, sed ratione rei excogitatæ per ipsum, et cognitæ ut quod: sicut sæpe asserit D. Thomas. Nec sufficit esse cognitam ut quod, sicut res externa dicitur cognita per extrinsecam denominationem et potest esse cognita modo simplici, sicut cognoscitur a quocumque etiam non artifice: sed idea dicit rem cognitam, et formatam intra conceptum per modum practice formandi et exprimendi rem ad extra.

Ad primam confirmationem respondetur quod res ad extra, etiam ut apprehensa, et cognita denominatione extrinseca, non est idea, quia de ratione ideæ est quod ex illa tamquam ex forma indivisibili, et intelligibili ad quam artifex intendit fiat res ad extra. Forma autem intelligibilis ad quam respicit artifex debet esse expressa in conceptu, non autem in specie impressa tantum, hæc solum continet objectum per modum principii ad intelligendum, non per modum termini qui respicitur ut quod. Forma etiam intelligibilis in conceptu est forma viva, et vitaliter, atque artificiose movens ad sui imitationem. Unde apprehensio per quam redditur intelligibilis, et expressa talis forma non est conditio solum ad rationem ideæ, sicut apprehensio ad rationem finis, quia ab apprehensione non datur fini aliquid appetibilitatis: hanc enim solum habet ex eo quod in se est in quantum assequendus; in idea autem tota ratio imitabilitatis ut artificioso et intelligibili modo

faciendæ provenit ex formatione, et expressione quam habet in conceptu. Et ideo exemplum de bonitate finis non currit in præsentem, ut jam supra diximus.

Ad secundam confirmationem dicetur plenius articulo sequenti, modo solum dicimus quod idea divina non est homogœna, et adæquata creaturæ, sed eminentissima, et perfectissime omnem creaturam continens. Unde licet entitative sit valde dissimilis creaturæ, repræsentative tamen, et causative totum quod est in creatura continet, et assimilat illam sibi inadæquate.

XXXIII. Tertio, arguitur in favorem sententiæ Suarez ad probandum quod conceptus non ratione rei repræsentatæ, et cognitæ ut quod, sed ratione sui, et ut est medium cognoscendi quo induat rationem ideæ: Nam præter realitatem, et qualitatem conceptus ut informantis intellectum, quidquid ibi restat, solum est objectum cognitum, quod non addit nisi denominationem extrinsecam in ratione cogniti: hoc autem nullo modo potest esse ratio formalis constitutiva causæ realis, qualis est idea: ergo in ipso esse cognito non consistit ejus ratio formalis, licet possit se habere ut conditio, sicut in fine ipsa apprehensio.

Confirmatur in exemplari externo quod proponitur artifici ut imitetur illud: licet enim requiratur quod sit visum ab artifice, ut ab eo dirigi possit, tamen esse visum non constituit illud in ratione exemplaris imitabilis, licet sit conditio, et applicatio illius: ergo similiter in exemplari interno esse cognitum intra conceptum non pertinebit ad formalem rationem ideæ, sed ad conditionem; realiter vero conceptus constituet ideam in ratione causæ realis.

XXXIV. Respondetur quod præter

realitatem conceptus quidquid habet rationem cogniti ad extra, solum redditur cognitum denominatione extrinseca, sed esse cognitum intrinsece, id est, repræsentatum intra conceptum, non est aliquid præter realitatem ipsius conceptus. Cæterum hæc realitas conceptus habet duplex munus secundum duplicem comparisonem, alterum respectu subjecti, seu intellectus in quo est, et sic habet se tamquam medium quo, et reddit intellectum cognoscentem, seu excogitantem: alterum munus exercet per comparisonem ad objectum, et sic reddit illud repræsentatum, et excogitatum, et hoc realiter non est aliud quam ipse conceptus sic intra se rem excogitatum, et formatam habens, sicut homo effigatus in speculo non est aliud quam ipsi colores reverberantes in speculo, non ut præcise inhaerent vitro, sed ut reddunt hominem repræsentatum. Sic ergo rem esse repræsentatam intra conceptum non est denominatio intrinseca, sed realis formalitas, non distincta a realitate conceptus, exercita tamen circa objectum, non circa subjectum. Sub hac ergo ratione qua consideratur conceptus ut reddens formatum, et excogitatum objectum non informatum intellectum, et excogitantem, constituitur ratio ideæ, quatenus exprimitur ibi objectum modo practico, et artificiose derivabile ad extra: et sic idea habet rationem causæ realis, quia res ut formata, et contenta in conceptu aliquid reale est, non realitate distincta a conceptu intra quem est. Differentia autem inter apprehensionem requisitam ad finem ut appetatur, et ideam, ut artificiose, et intelligibiliter exprimitur, jam sæpius explicata est.

Ad primam confirmationem respondetur, quod exemplar externum non est formaliter idea, sed objecti-

ve, et fundamentaliter, quia ab illo desumit artifex species quibus format ideam intra se, et hanc proxime imitatur ideatum, quatenus ab ea formatur artificiosa, et intelligibili modo: ab exemplari autem externo immediate non formatur aliquid artificioso modo, sed ab eo desumuntur species, quibus artifex format ideam. Ad hoc autem ut exemplar illud solum objective, et fundamentaliter sit exemplar, non concurrat esse visum per modum rationis formalis, sed est quædam conditio, seu denominatio resultans in objecto ut species ejus per visum transeat ad potentias interiores. Exemplar enim externum solum concurrat emittendo species, non artificiose formando artefactum ad extra. Exemplar autem internum non concurrat emittendo species, sed artificioso modo, et intelligibili, formando artefactum ad extra, ut scilicet ex invisibili visibile fiat; et ita esse invisibilem formam excogitatum, et repræsentatam intra conceptum tali modo practico pertinet ad formalem rationem ideæ, licet id non alia realitate habeat quam realitate ipsius conceptus, sub habitu-dine tamen ad objectum non præcise ad subjectum, seu intellectum.

ARTICULUS II.

Utrum essentia divina habeat rationem ideæ, et quo modo?

I. Ex opinionibus præcedenti articulo relatis circa constitutionem ideæ in communi, derivantur diversæ sententiæ circa constitutionem ideæ divinæ. Quidam enim constituunt ideam divinam in conceptu divino ut cognoscente: quidam in objecto aliquo, seu re cognita. In conceptu divino ut cognoscente constituit Vasquez in præsentem

disputatione LXXII, cap. II, licet ideam creatam non in conceptu artificis constituat, sed in aliquo objecto ad quod respiciens operatur: non autem respicit suum conceptum, alias indigeret cognitione reflexa ad operandum idearum: Deus autem prius intuetur Verbum suum quam creaturas, quia istæ sunt objectum secundarium respectu Verbi divini, in quo exprimuntur. Similiter p. Suarez convenit cum sententia Vazquez quantum ad hoc quod idea divina sit ipse conceptus Dei formalis non objectivus, nec tamen facit differentiam, quantum ad hoc, inter ideam artificis creati, et increati. Ipsam autem divinam essentiam negat esse ideam, neque secundum se, et entitative: quia sic non est causa exemplaris sed solum executiva: neque ut cognitam, quia esse cognitum non reddit supra ipsam essentiam nisi determinationem rationis, quæ ad rationem ideæ per se non requiritur. Et ita pro hac sententia referri possunt auctores articulo præcedenti relati pro hac sententia, quod idea consistat in conceptu formali, et non in objectivo.

II. Ex aliis autem auctoribus qui constituunt ideam in conceptu objectivo, etiam differentia sententiarum orta est: nam quidam constituunt ideam divinam in ipsis creaturis a Deo cognitis quatenus secundum esse objectivum concipiuntur ab intellectu divino, ut producendæ in re. Alii vero essentia divina, non ut cognoscente, sicut Vazquez et Suarez sed ut cognita. Alii denique distinguunt, quod aliquæ ideæ divinæ sunt ipsa essentia divina ut cognita, aliquæ vero sunt creaturæ ipsæ objective attactæ. Primam sententiam tenet Scotus in I, dist. XXXV, quæst. I, §. Ad ista, cui Nominales adherent, ut Ocham, Gabriel, et alii. Secundam communiter sequuntur